

tiarumque actione refertis literis responsum. Quod ad equos spectet, minime ferax eo jumentorum genere solum esse; iis plerumque Rempublicam egere; rogare, ut egregio in illum cunctorum animo contentus sit. Eodem, quo Alenconius haec moliebatur, tempore, foedere sibi tredecim Helvetiorum pagos Henricus devinxerat; idque per Ferrerium oratorem Patribus significaverat. Initam recentem cum præpotenti gente societatem; si, se dedisset occasio, usui quoque Reipublicæ futuram. Ac fane post adjunctum Philippo Lusitanæ regnum, suspicionum occultarumque dissensionum semina inter duos Reges suboriebantur. Licet enim Henricus ex priori fratribus in Belgium profectione summam molestiam percepisse visus esset, modo, quamvis premere connixus, dissimulatione tamen penitus uti nequibat, compluribus militibus e Gallia in Belgium accurrentibus; cum præsertim eodem tempore Catharina mater palam Antonio Lusitania ejecto faveret, maritimisque vires ad Azores insulas, in quas post Lusitaniam devictam belli impetum Hispani effuderant, polliceretur. Exinde cum intesta bella imminere christianæ reipublicæ Veneti præviderent, ne ab instituto pacis tuendæ studio discederent, quamvis Aquilejenses controversiæ vigerent, tamen cum Pontifice agebant, ut exorientibus malis occurreret, neque adolescere ingentem calamitatem in communem perniciem erupturam pateteret.

1582

*Henricus  
Galliae Re-  
gis cū Hel-  
vetiis fe-  
dus.*

*Gallorum  
& Hispano-  
rum mutua  
suspiciones.*

Verum Gtegorius, ut plerique Pontifices, vel præcipuo quodam tanti fastigii munere, vel insita memoriae in posteros proferendæ cupiditate, omnes cogitationes ad res turcas tantum contulerat; Sarmatasque ac Moschos dissidentes compondere in primis adortus, Antonium Possevinum, e Jesu Societate hominem, in eas regiones miserat, ut Stephanum Battoreum, Sarmatiæ Regem, ac Joannem Basilium, Magnum Moschorum Ducem, inter quos acriter decertabatur, conciliaret. Is post multa utrimque agitata, permollitis animis, pacem fanciverat; qua ex re ingentem voluptatem Gregorius ceperat, inde sibi ad ea, quæ in Ottomanos meditabatur, gradum structurum ratus. Pactam cum Battoreo pacem Johannes Basilius per Jacobum Malvaninum Senatui nuntiavit, litterasque in hanc ferme sententiam dedit. *Bello inter eum ac Sar-*

*Antonius  
Possevinus  
ad Sarmat-  
as & Mo-  
scobos a Pōsi-  
tice missus.*

*Jacobus  
Malvanini-  
nus, Mo-  
schovia&Du-  
cisorator, li-  
teras ad Ve-  
netos defens.*